

N. 10



Universis et singulis RR. Adm. Patribus Provincialibus, Magistris, Prioribus, Præsentibus, Rectoribus, Vicariis; RR. Priorissis ac Præsentibus, reliquisque religiosis et monialibus Ordinis Prædicatorum Provinciarum Hispaniæ, atque Indiarum.

# NOS FR. JOACHIMUS BRIZ,

Sacræ Theologiæ Professor et Doctor, humilis ejusdem Ordinis Magister Generalis et servus, Hispaniarum Primæ Classis Optimas, &c., &c. salutem.

Sex circiter secula à sua institutione compleverat Prædicatorum Ordo sub uno tantum capite, ad vitam ipsum gubernante, uberrimos ubique sanctitatis adferens, et doctrinæ fructus, virtutum omnium odorem spargens suavissimum, populisque ac Principibus summe dilectus, quando luctuosissima novitatum, atque calamitatum tempora advenerunt, in quibus, maximo cum bonorum omnium dolore, quamplurimas Regularium hominum omnium Ordinum familias, per validis tempestatibus jactatas, ac gravissimis ærumnis immerito oppressas, corruisse vidimus. Earundem ergo in Hispanicis regionibus conservationi prospiciens Rex Catholicus Carolus IV, stabili deinceps ipsarummet regimini opportunum credidit, ut, quæ hactenus ab uno tantum Præside Generali gubernatæ fuerant, totidem Vicariis Generalibus in posterum institutis, independenter à supremis Religiosorum Ordinum Magistris, atque iisdem ipsis eorumdem omnimodis facultatibus munitis, in ea parte Ordinis sibi respectivè concredita, alternatim regerentur.

Precibus itaque Regiis benignè annuens Summus Pontifex Pius Papa VII, Constitutionem edidit Idibus Maii anni MDCCCIV, cujus initium, *Inter graviores*, in qua sanè nonnulla desiderantur pro exacta Regularium Ordinum, ac Nostri signanter, in eorum electionibus observantia stabilienda; imò novæ dispositiones circa electionum formam ibidem præscriptæ, ejusdem Apostolicæ Constitutionis observantiam valdè difficilem reddunt. Hujusmodi gravissima incommoda, ac vix superabiles difficultates, quæ quidem convocandi Capituli Generalis tempus hucusque, non sine animi nostri sensu, protraxerunt, Cænobitici Ordines, tam Hispani, quam Exteri, ita ab initio perspecta omnes habuerunt, ut, à die qua prodiit laudata Apostolica Constitutio usque ad præsens, per spatium, nempe, annorum viginti septem, nec semel tantum forma electionum ibidem præscripta servari potuerit.

In ea siquidem, inter alia, hæc statuuntur. "Cum summus Ordinis Magister » ex Hispanis eligendus erit, Comitata Generalia in Hispania habebuntur; Romæ vero, sive alibi, prout leges cujuscumque Instituti statuunt, cum idem ex aliis » nationibus erit eligendus. Evocari, accedere, atque admitti ad Generalia Comitata » debent vocales tam ex Hispania, quam ex aliis nationibus..... Electio Vicarii Generalis fiet in eodem Capitulo Generali, simul ac summi Magistri electio habita » fuerit; sed ab Hispanis vocalibus eligetur, cum Is Vicarius Generalis hispanus » futurus erit, vocales verò aliarum nationum Vicarium eligent, cum Is ad Ordinem pertinebit qui extra Hispaniam est."

His itaque sic constitutis, quis subitò non videt supervacaneum omninò esse, à summo Ordinis Magistro non gubernandos vocales, hispanos Romam, vel externos Hispaniam advenire, pro ipsomet summo Ordinis Magistro, juxta alterna-

170  
tivam eligendo, cum Vicarium Generalem ipsos recturum, ac immediatè post electionem summi Magistri eligendum, illi tantum vocales hispani, vel exteri, juxta eandem alternativam, eligere debeant, exclusis vocalibus ab ipso supremo Ordinis Præsidente gubernandis? Nonne Romæ, vel in Hispaniis, juxta dictam alternativam, facilius et commodius electio illa Vicarii Generalis haberetur, absque inutilibus gravissimis expensis, itinere tot electoribus ætatis ut plurimum provectæ molestissimo, Provinciarum diuturna viduitate, aliisque maximi momenti circumstantiis, vobis optimè notis? Unitas Ordinis; in supra laudata Apostolica Constitutione tantoperè commendata, nonne pariter sarta tecta, imo forsàn melius servari poterit, quàm per formam in ea stabilitam, quæ aliunde quasi penitus corruit (absit invidia verbo) postquam Vicarii Generales, à die qua in lucem prodiit, instituti, minimè à supremo Ordinis Magistro sui muneris confirmationem exquisierunt; imo nec *in negotiis majoris momenti, ad spirituale regimen Ordinis ac disciplinam pertinentibus*, à prædicto Ordinis supremo Præsidente sententiam ac votum audierunt, *ut tutiori ratione procederent, et ut instituti substantia in universo Ordine conservaretur*, quemadmodum in ipsa supra relata Apostolica Constitutione statutum legimus?

Quinquennio igitur Summi nostri muneris jamjam appropinquante, atque Comitiorum Generalium celebratione, tam pro Supremo Præsidente, quàm pro Vicario Generali, juxta assertam alternativam, eligendis, pariter imminente; inter Scyllam, et Carybdim nos constitutos reperimus, dum circulares litteras, Capituli Generalis convocatorias, quònam, et ad quos mittere, quamque domum pro eo celebrando designare deberemus. Comitìa namque Generalia extra Hispaniam nunc esse celebranda decernit Piana Apostolica Constitutio supramemorata: de statu Provinciarum, et Conventuum extra Hispaniam existentium nihil penè novimus post novissimas calamitates, totam quasi Europam, ejusque domos Cœnobiticas, devastantes: Electores exteros ad Hispaniam pro summis eorum Magistris, seu Vicariis Generalibus eligendis, advenisse, nunquam audivimus: intra Hispaniam Conventum pro celebrando Capitulo designare, atque Electores ad illud convocare, obstabat prædicta Apostolica Constitutio. Inter hujusmodi angustias, RR. Adm. PP. Priores Provinciales, aliosque viros gravissimos consulere visum nobis fuit, ut in re tanti momenti quid agendum esset, quidque ipsis videretur, nobis aperirent. Perpensis igitur eorum sententiis, ac validissimis rationibus, Piissimo Regi Nostro Ferdinando VII., prout de jure hispanico, supplicem libellum porreximus die XV. mensis Novembris anni MDCCCXXIX., ut à Summo Pontifice tunc Pio VIII. Apostolicas litteras declaratorias obtinere dignaretur circa præcitatam Apostolicam Constitutionem *Inter graviore*, Concordati naturam obtinentem; nihil dubitantes, quin proximo tunc mense Julio sequentis anni MDCCCXXX., rebus omnibus in luce positis, convocatorias litteras, juxta Ordinis leges, pro Comitibus Generalibus anno præsentis MDCCCXXXI., in fine sexennii nostri muneris celebrandis, ad RR. PP. Electores transmittere, nobis in promptu esset. Sic fidentè sperabamus, charissimi Patres; sed Deus Optimus Maximus aliter decreverat: re etenim apud Supremum Regium Castellæ Senatam, à Rege consultum, longiùs provecta, nonnisi die VI. Julii anni proximè elapsi ad Regium in Urbe Hispanum Oratorem, Regiæ preces, pro declarationibus obtinendis, transmissæ fuerunt. Et ecce, Patres dilectissimi, novæ difficultates, à prædicto Regio Oratore Hispano ad nostrum Regem Ferdinandum, ejusdem precibus minimè SSmo. Pontifici oblatis, transmissæ; ac proinde novæ dilationes, ac novæ moræ subortæ. Pro iis elucidandis, Regium iterum Castellæ Supremum Senatam consulere prudentissimo Regi visum fuit; unde nonnisi die VI. mensis Februarii currentis anni, dubiis omnibus omnimodè perpensis, Regiæ preces ad prælaudatum in Urbe Regium Oratorem Hispanum transmitti potuerunt; qui quidem SSmo. Domino nostro Gregorio Papæ XVI., Catholici Regis nomine, ipsas obtulit die XXIII. ejusdem mensis.

Interea jamjam appropinquante muneris nostri sexennialis complemento, die scilicet XXIX. currentis mensis; neque aliunde circa dubia, ac difficultates supprelatas à Rege Ferdinando VII. propositas, quidquam adhuc usque ad præsen-

tem diem Summo Pontifice decernente; tandem die XX. mensis Junii proximè elapsi litteras accepimus ab Exmo. ac Rmo. D. D. Francisco Tiberi, in Hispaniis Nuntio Apostolico, quarum tenor est ut sequitur. = "Exmo. y Rmo. P. Maestro General del Orden de Santo Domingo: = Ocupado Nuestro SSmo. Padre Papa Gregorio XVI. en examinar los puntos y dudas que V. E. Rma. ha propuesto á la Santa Sede, pidiendo aclaraciones sobre el Breve *Inter graviores*; no habiendo resuelto hasta el dia, me hallo autorizado para confirmar á V. E. Rma. en el empleo de General de dicha Orden, interin y hasta tanto que su Santidad se digne resolver, y sobre el modo y forma de celebrar el próximo capítulo, que debe tenerse en Roma para la eleccion de General. = Lo comunico á V. E. Rma. para su inteligencia, y de las Provincias, á quienes lo circulará para su observancia. = Dios guarde á V. E. Rma. muchos años. Madrid 20 de Junio de 1831. = F. Arzobispo de Atenas, Nuncio Apostólico.

De hujusmodi Apostolicis litteris sine mora certiore personaliter reddidimus clementissimum Regem nostrum Ferdinandum, qui eas benignè adprobavit, prout ex Regio Chyographo apud Sanctum Ildephonsum die XIII. currentis mensis per Regium à secretis Ministrum Gratiae et Justitiae subsignato, ab eo que ad Nos transmissio, apparet tenoris sequentis: = "G. y J. = Exmo. Señor: = Enterado el Rey Ntro. Señor de lo espuesto por V. E. en razon de haber recibido un aviso del Nuncio de su Santidad en estos Reinos, por el que le participa que el Santo Padre le proroga interinamente en el oficio de General de la Orden de Santo Domingo, que obtiene, hasta que se resuelvan las dudas propuestas sobre la Bula *Inter graviores*, se ha servido S. M. conceder á V. E. su Real permiso para que por ahora continúe desempeñando dicho cargo. Y lo digo á V. E. de Real orden para su inteligencia y efectos convenientes. = Dios guarde á V. E. muchos años. = San Ildefonso 13 de Julio de 1831. = Calomarde. = Rmo. P. General de la Orden de Santo Domingo."


En, Patres, et Fratres charissimi, quid summus Pontifex Gregorius Papa XVI. quidque Rex noster Ferdinandus VII. pro nunc vicissim decreverint. Dum itaque circa proposita relata dubia Oraculum Pontificium praestolamur, à Patre luminum, per intercessionem SSmi. Protoparentis nostri Dominici ejusque spectatissimae Matris Beatæ Joannæ ab Aza, auxilium opportunum pro formidando onere adhuc à nobis sustinendo humiliter deprecamur.

Valete, dilectissimi, ac dum Paternam Benedictionem vobis peramanter impartimur, Nos, Sociosque nostros vestris Sacrificiis et orationibus enixè commendamus.

Dat. Matriti in almo Sancti Thomæ Aquinatis Prædicatorum Cænobio die vigesima mensis Julii anni millesimi octingentesimi trigesimi primi.

Fr. Joachimus Briz,

Mag. Ordinis.



Reg. pag. 68.

Fr. Vincentius Lopez;

Magister, Procurator Generalis Ordinis, Provincialis Terræ Sanctæ, et Socius.

